

M I M

1 6 4 8

C. C. S.  
Ll, 2, 3.

30 B 10.

In usum Pedagogic  
Regi Hlantensi

158

# MALAGMA

Cordi paterno

*Viri Amplissimi & Prudentissimi, DN.*

# JOHANNIS

*Wedigen/CONSULIS REIP:*

Suevo-Coloniensis meritissimi, ob insperatum obitum Filij longè desideratissimi REICHHARDI, (qui Francofurtô-ad Mœnum, ubi cum Elect. Brand: Dominis Legatis biennium fermè commoratus, redux in itinere peste corrept⁹, Hersfeldiæ Hassorum d. 23. Octobr. intra 9. & 10. vesp. cùm 17. & dimid. annos vixisset, summo cum parentum & patriæ desiderio inter medias preces ad cœlestem patriam, exuvijs postridiè h. i.

pom. ibid. Christiano ritu terræ mandatis,

emigravit,) mirè saucio,

applicatum

ab

Amicis & Fautoribus,

ANNO


*quo*

MortVVs In IesV VIVIs, ReICharDe, beatVs.

---

• BEROLINI, TYPIS RUNGIANIS. sc.

---



**V**ita, via est, Mors est vitalis terminus, Omni  
Terminus ille via nos & ubiqꝫ manet.  
Terminus ille domi, peregrinis terminus oris  
Instat, curriculo semper adest medio.  
Et tu principium quod ponis, terminus a vi est,  
Quod statuis medium, terminus ille tibi est.  
Te testem REICHARD E voco, quem in lumine cursus  
Terminus antevenit, morsqꝫ inopina rapit.  
Ædibus egresso ad præclara videnda paternis,  
Non reducem in patriam fata venire sinunt.  
Marchia Te emitit, Catorum pestilis aura  
Vix captum, tristis funere rumpit iter.  
Id luges, Consulte PAREN S, Affinis amandœ,  
Spem generisqꝫ tui sic cecidisse, doles.  
At lacrimis posuisse modum, Vir Clare juberis  
A Ductore tua Cunctipotente vie:  
Hic nos ire jubet, cum vult, jubet ipse redire:  
Felix, ad Dominum cui datur ire suum!

Francofurti faciebam.

Christianus Carpzovius J. U. D.  
& Professor Publicus in Electorali  
Academia Oderana.

**ALLOQUIUM DEFUNCTI**

Patrem consolantis.

**H**Aut fata perstringas querulo Parenſ  
mellite planctu! haut discrucies nimis

A 2

mentem

mentem: haut genæ nimis madescant:  
omne etenim nimium nocivum.  
Fidi Parentis munere functus es:  
Ab ungibus primis, pietas, fides,  
integritas, virtus, periti  
me studio decorant Magistri.  
Exinde honorato Comitum choro  
commissus, oras ducor ad exterias,  
moresq; , virtutesq; , causâ  
magnanimûm Procerum imbibendi.  
Hinc urbibus, sed Martis acinacem  
plorantibus, celsisq; palatijs  
passim relictis, Francofurti  
mænia vitiferi saluto  
Mœni. Hic domus, pictasq; coloribus  
ædes, & auro splendida vidimus  
delubra! merces hîc procul quas  
per mare nauta vehit, rigentes  
hîc vidimus gemmis chlamydes: Graves  
hîc Principes, summos Eqvites, Viros  
Marte, arte claros, queis adinstar  
cultâ lepore fluunt Periclis  
verba: hîc corusco vidimus agmine,  
Turnos, bipennes, tympana, bellica  
tormenta, sclopos, totq; , nemo  
quoniam numerare potest, macheras.  
Ast pestis ah diræ violentia  
Mytilis Cathedras, oppida civibus,  
natis Patrem, uxores Viris, &  
filiolos spoliat Parente.

Hanc

Hanc excipit squalens cute luridā  
Fames! cruentī Martis ahena post  
Sclopeta succenduntur: unde  
anxius ossa tremor premebat.

Verūm hisce tracti, dante Dēo, malis  
invadimus durum incolumes iter:  
lāto reversuros putantes

auspicio ad patrios penates.

Sed fortis, heu, heu, nubila Marchiæ!

Scutatus Eōo truculentior  
miles Tyranno vastat urbes,  
rostra, facella, domus, agellos.

Adulterino dogmate cerea  
flecti juventus invitium, undiq;  
corruptitur, pravo sodale  
interitum Satanas minatur.

His jam periclis me Deus eximi  
sagedit! idcirco luis, in viâ,  
telo vehor mundi caducā  
ē patriâ, ad patriam manentem.

Hic omnis angor, pestilens, fames,  
Mars lucifer, Mors trux, dolus, exulat:  
hic pace, honore, sanitate, &  
perpete lātitia fruiscor.

Quid ergo luctu? quid lacrymis opus?

Gratare concessis mihi partibus:  
quod cœlitum, mundi perosus,  
portio amata chori saluter.

Hæc qvando tandem machina funditus  
vasti orbis extremos ruet in rogos:

Ovans Tibi, Matriq; jungar,  
colloqvoq; fruar in ævum.  
Løngam interim, dulcis Genitor, Tibi,  
Matri, Sororclis, Fratribus, appreco  
vitam: diu salvi virete,  
Ejaq; perpetuūm valete.

Johannes Wenschendorff/  
Ecclesiastes Col. ad  
D. Petri.

REICHARD U S Wedigen  
Per Anagr.  
Hic res dura, } Dein Weg.  
Charus redi!

Evolutio.

Dura quidem res est, sterili si vivere lecto  
Contingat, nullâ prole beante domum;  
O quoties Rachel indignabunda praoptat:  
Osculer aut subolem, da Deus, aut moriar! Gen. 30. v. 1.  
Durior at res est, privari pignore lecti;  
Tunc etenim cordis pars quotacunq; cadit:  
Hinc Jacob, David, mater Nainitica plangunt,  
Et quis non, nisi qui tigride natus homo?  
Corde sati veniant Nati; Cor rumpitur, illis  
Truncatis dirâ, Mors, sicilice tua!

Hoc

Hoc loquor experrus; Nondum semestre recessit,  
Quò mibi cordolum corcula bina darent:  
Nam vix octavum titan illuxerat orbi,  
Filiola (dolor heu!) orbus utrāq; fui.  
Angitur hinc animus, nec in hunc coälescere vulnus  
Sepè crudescens sustinet usq; diem.  
Tu mibi testis, idem, Consul venerande, fateris:  
Quā gemis, & largis fletibus ora rigas!  
Scilicet ut Natum suffirans Hanna Tobiam  
Expectat, peregrē dum trabit ille moram:  
Sic dum Reichardus tuus abfuit hactenus, annē  
Hec pia vota dabas: Ah benē Chare redi?  
At frustrā; Tobias mirā dulcedine mentes  
Permulsit tandem, quando reversus erat:  
Sed tuus ille redux cùm sferaretur, acerbo,  
Exhalans animam, corda dolore replet.  
Hic sanè res dura! via hac tua plena dolorum  
Est, Recharde, tuis, sed tibi lata satis!  
Hac patriam repetis, caelesti in sède locatus;  
Quidni terrenam linquere sponte velis?  
Conspicis aeterni faciempatrias (euge!) benignam,  
Cùm Genitoris in hoc tempore non liceat:  
Angelicos inter catus, animasq; beatas  
Latus ovas, precul à Fratre, sorore licet.  
O te felicem! Via nobis omnibus una,  
Calcanda est, quā Te ritè sequemur eō,  
Quò neq; Mars, neq; Mors unquam disjunget amantes,  
Sed pax, cum vitā perpetu, firma manet.  
Hoc se solatus David in funere Nati,  
Ille qvidem, dicens, non reddit, ipse seqvar.

Dein Weg.

Hec

Hec me sustentat, lacrimas abstergit ocellis  
Spes, nam defunctis jungier opto meis.  
Hac quoq; Te fulci spe, Compater; Ecce! redibit  
Huc Charus nunquam, Tute sequeris eum.:  
Siste proin lacrimas, mecum pia fata precare:  
Da Nato requiem, miq; malagma Deus!

συμπαθείας ἔνεκα

fac:

M. Jacobus Helvwigius  
ad D. Petri Eccle-  
siastes.

ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ.

C Rebrō mortales Autumni tempore languent,  
Aëris incertā temperieq; cadunt.  
Hoc probat eximia clari virtute Parentis  
Filius exemplo W E D I G E N ipse suo;  
Ante diem Juvenis florentibus occidit annis;  
Lilia ceu florent, arida moxq; cadunt.  
Atcum Postremæ ver illud amabile lucis  
Ex letho vitæ corpora nostra dabit:  
Tunc iterum ; REICHARD, cœlestis flosculus horti  
Floridus è molli W E D I G E N ibit humo.  
Intereā fruitur jucundā PACE, Q V I E T E q;  
„In Domino, felix, qvi cadit, ille cadit!  
FILIUS ipsus abit ; patrio Mars impius orbe  
Dum fremit & lævit, dum mera bella crepant.

Nec

Nec redit in patriam dulcem: ast in itinere tendit  
In cœli patriam, pax ubi, & alma quies.  
Carpere laudis iter, premere & vestigia Patris  
Ac gentis mores visere, mentis erat:  
Hunc citò, qvò possit meliori sorte fruisci,  
Dux vita letho duxit ad ora D E I.  
Tristis uterq; Parens miranda volentis adorent  
Fata D E I: placeat, qvod DOMINO placuit. (mur  
Haut datur hic redditus; REICHARDUM quisq; seqve-  
,, Felix, qvi benè sic caput & implet iter!

Qdam

Συμπαθειας καὶ φιλιας εἰνεν  
addidit

M. Georgius Lilius Dresd.  
Ecclesiastes p. t. Nicolaitanus,  
apud BERLINENSES.

---

Amplissimo atq; Prudentissimo Dn. Consuli &c.  
mœstissimo Parenti filij REICHARDI p. m. obitum,  
qvumreditum meditaretur, acerbè lugenti  
hanc συμπαθειαν καὶ φιλιας πορ-  
gere voluit.

Sæpe in transversum cadit bei! spes longa Parentum,  
quam praluentem soboles fert schemate pulchrō!  
que quum promittit risum, nova gaudia, amores,  
porrigit heu subito fletum, lamenta dolores!  
cordoli id loqueris funestō Amplissime Consul

B

luges

luges Reichardi qui fata vialia nati,  
hic tibi spondebat spe dixite bilaria, & amplam  
latitatem messem, risum, solamina cordis,  
(quippe bona plantæ flos porrigit illicè fructus)  
sed nunc intercepta jacent bac gaudia, mortis  
dum flos falce cadit peregrinò in rure resectus.  
Eheu spem creperam! decollant siccine vota  
humana in mundi rebus? nit constat in illis  
perpes, ni sibimet siet inconstans inconstans!  
& fermè, nisi mors, certum est nihil, hora locusque  
nos tamen incertant: falcem nam lunat ubiq;  
& quum vix speras, extremum ea surgit in ictum,  
dum loquimur, morimur: cadimus dam stamus: abimus,  
quando imus: nostris mors sedibus incubat atra,  
in speculis habitat, juvenum quoq; funera exoptat,  
nec curat: quamvis peregrinum ea condat in agrum.  
Exuvia hoc Reicharde, tua testantur humatae  
pulvere non patrio, semotæ condita arena,  
quas non concessum est natali tradere terra,  
id quod merorem duplicat, mentesq; parentum  
afficit intimius, nec vulnere fauciatur und.  
ô durum verbum! quum verbere nuncius aures  
tunderet hōc vestras: Heū natus vester abivit  
Reichardus, patrias nunquam remeabit ad ædes  
mors interclusit redditum, mittitq; supremam  
vozem: Salvete æternumq; valete Parentes!  
sat durum fateor verbum, quod pectora vestra  
angit, discruciat, macerat (miserabile visu!)  
Verum, que vestra est pietas, meminisce juvabit  
emplastri, veniat quò vestri pausa doloris,

ing

ing. cicatricem cōcānt tām saucia corda.  
largē qvod vobis oracula sacra propinant:  
vos siq' videm nōstis: Dominus qvem diligit, illum  
evocat ē mundo citiūs, sibi jungit eundem  
proximiūs: vitium ne menti stigmata inurat.  
Et & vita viatoris quasi transitus, illam  
quām bēnē transiuit Reichardus, tramite rectō  
celica regna petens? ubi firma comitia pacis,  
quīm contrā mundus vendat ludibria pacis,  
felix ergo mibi dicenda profectio talis  
quā vehimur patriam ad meliorem, ubi fata quietas  
ostendunt sedes, funeralia & arma quiescunt,  
non igitur voluit patriam hancce revisere, clavis  
gymnasum, in quo bella, mina, furor omnia turbant.  
calestem elegit, quam pacis gaudia clarant.  
Et licet osfa cubent peregrinā condita tymbā,  
terra tamen Domini tota est, & quicquid ubiq;  
ergo ubicung<sup>z</sup> Deus, nobis ibi patria preſtō est:  
contegit & qua nos tellus, ea patria nostra est  
ad tempus, patriam eternam modō ſpiritus intret.  
Ergo ſollicite detergite nubila mentis,  
in requiem revocate animos, depellite curas,  
& veftro præſens fit hac medicina dolori:  
Prolubium Domini est, qui pignora ritē reponcit,  
qvæ dedit: est sapiens, ea qui ſine murmure reddit,  
ſpe fretus certā, quod funera fœnora gignant.

Johannes Bercovius Diaconus

Eccles: Nicol: apud

Berlin:

B 2

Ad

Ad Parentes Filium lugentes  
Epigramma.

**V**obis & Patriæ dum sese reddere tentat  
Reichardus vester Filius, ecce FUIT!  
Binos magna quidem Spes annos trivit in urbe,  
Quam gelidis lambit Mœnus amœnus aquis;  
Attamen in medio cursu ad nos peste peremptus,  
Ignota haut fletus contumulatur humo,  
Spes fallaces! ô inclemens Fata  
Duri! que vobis tristia mille ciet.  
Nil nisi erat Reditus meditatio vestra diurna,  
Cura nocturna nil nisi erat Reditus.  
Abfuit imò parum, quin exclamaritis interdum,  
Alta voce: venit Filius! eja venit!  
Frustra, Non vénit. Misérum! sed luctui acerbo  
Et lacrumis nimis ponite, queso, modum!  
Gnatus enim lubrico fallacis tramite mundi  
Spreto, non segnis presit ad ASTRA viam.  
Patria ubi tellus est non mentita. Beatos!  
Eius quis olim civibus esse licet.  
Nec refert adeo, modo quis non erret cundo,  
Deserat hanc vitam Quando, ubi qvove modo?

In ein Trost-Sonnet kürzlich übersezet:

**A**uch ewer liebster Sohn hat auffgehört zu leben/  
Ersticket von der Gifft! als nach lang-aussen-seyr  
Er auf dem Lande das benetz't der schöne Mäyn  
Euch vnd der Residenz sich wied' hat wollen geben.  
Ach/ ach wie mußt ihr wol in eausen angstlin schwelen!  
Der unverhoffte Fall/ was muß er doch für pein

Bey

Bey euch erregen! die ißt niemals schliesset ein/  
Auch nie erwachetet/das nicht fest solte kleben  
An ewrem Sinn vnd Zung: Ach jetzt/jetzt wird er kostien!  
Ab'r/ leider! nur vmbsonst. Doch hermt euch nicht zu viel/  
Gedenck't/wie ewer Sohn/(als welch's das beste Ziel)  
Zum rechten Vaterland' den Weg hat zugenommen.  
Von dem, der das erreicht! dem kan gefahren nicht/  
Wie/wen/odr wo ihm auch verlesche des Lebens Liecht.

In eis von Emanuele Vulpino  
der Galderischen Schulen in Bran-  
denb. bestallten Rectorn.,

**S**angvine puniceo Venis turgentibus, ecce  
Qvam misero fastu turba superbasumus!  
Iactamus tumidum vernantes corporis artus,  
Qvæq; rubent Paphijs æuulalabra rosis.  
At qvæ cœca tenent nostras oblivia mentes,  
Qvid cineres nostrum nosse negamus avum?  
Æquamur folijs spirante cadentibus Austro,  
Sive rosæ mavis, qvæ sibi manè placet;  
Sole sed igni pedes mergente sub æqvore mannos,  
Confestim fluido vertice marcat anus.  
Gaudia tam fugitiva rosæ miraris Ephebe?  
Temirare, rosæ qui simulacra geris.  
Qvam facile ergo rosam Titania spicula carpunt,  
Carperè sic letum te quoq; posse puta.  
Ibis in omnipara telluris viscera cuius?  
Incauto atq; alacri nunc pede terga premis

B 3

Non

Non præstans robur, rosei nec gratia vultus  
Mortis inexpletæ lumina torva movet.  
Sortis tam fragilis mœstum spectamen in ipso  
Subjicis ætatis flore, Richarde Tuis:  
Imò sed & cuivis auræ mortalis alumno  
Dicis in auriculam: γνῶθι σεαυτὸν Homo,  
Dotibus (en!) Hebes ibas stipatus amoenis  
Visum Mœniaci mœnia culta vadi.  
Dumq; ibi illustratis multorum moribus optas  
Fumum de patrijs posse videre focis,  
En animam medio sub cursu fundis anhelam,  
Effugisse luis dira venena ratus.  
Atq; ita frustraris spes votaq; magna parentum,  
Qvos desiderium nunc coquit acre tui.  
Ipse quidem primo dulcis sub vere juventæ  
Incidit in properam, ceu rosa verna, necem;  
Aura sed æterni veris genitabilis illum.  
In Paradisiacis rursum animabit agris.  
Mens ovat interibi durâ eluctata catasta  
Corporis, & motu liberiore micat.  
Extra anni solisq; vias subiecta triumphat,  
Cominus & Triadæm spectat aditq; sacram.  
Lingua tace, non est humanæ impervia menti  
Farier: Angelicos res amat ista modos.  
Sistite vos lacrimas: Lex est adamantina natum.  
Denasci, frangi sanctio dia nequit.  
Et nos jam vegeti mox fortè profabimur illud.  
VIXIMUS. Orbicolas exitus unus habet.

M. Michaël Schirmer Lipsiensis.

Definie

**D**Esine morbificis, Vir Magne, doloribus angi,  
Desine, nil questus ingeminare juvat.  
Haud potis est luctus denatis reddere vitam,  
Sed nocet hic vivis, nec juvat exanimes.  
Quin potius gnato gratare & gaudia carpe:  
Nam tenet hic celsi regna beata poli.  
Perpera ubi requies est ac mansura voluptas,  
Integritas, splendor, gaudia perpetua.  
Hic miseris nos Mars & Sors inimica fatigant,  
Nec quicquam preter flere dolere vides.  
Sanguine terra madet, vicina incendia terrent,  
Teutonicumq; solum jam nova pena manet.  
Horresco referens mala, qua noctesq; diesq;  
Circum nos Miles, Sorsq; sinistra vomunt.  
Hinc verè felix, cui Parc & stamina vita  
Mox rumpunt; nam mox, optima vita, mori.  
Ergo quod plores genitor mæstissime non est,  
Reichardo cum sit morte parata quies.  
Debitz condolentz contestandæ gratiâ  
deprop.

CHRISTIANUS GRUM.

**M**urmure perstringūt aures mala lata per auras,  
Attonita & reddunt corda stupore suo:  
Acrius at pungunt, acies qvæ luminis hausit,  
Obtusa & penitis fixit acuta fibris.

SIC

Sic ait Ausonium Decus : at juraveris , aure  
Arctius ac visu te penitrâsse malum.  
Namq; pater nati si lumine fata suprema  
Lustrâsses , essent mitia fata tibi.  
Sic sinus amplexu patrij fovisset amoris  
Nati languentis torpida membra lue;  
Sic benè compositos dilecti funeris artus  
Humaret dulcis patria gleba soli.  
Fando sed funus nati qvia venit ad aures ,  
Asperior patrem sors gravitate premit.  
Non etenim licuit lacrymâ perfundere lectum ,  
In quo deseruit vividus ossa calor ;  
Oscula nec nato libare suprema perempto ;  
Debita neve animæ solvere vota piæ.  
Hoc pietatis opus patri qvia fama negavit ,  
Aure malum sentis acrius atq; oculis.  
Sensum astintendat patri geminetq; doloris  
Fama pij nati funera certa ferens :  
Ponere sed finem lacrymis , sensumq; doloris  
Linquere te pvietas , Te decus atq; jubet .  
Occiderit natus qvamvis viridantibus annis  
Semotus patrio limine falce necis ;  
Occiderit qvamvis nullo comitatus honore  
Matri , lugentis nec pietate patris.

Is ta-

Is tamen occubuit matus regna videndo  
Cælorum, Domini concidit inq; solo.  
Occidit & lacrymas inter fletumq; decorum  
Cœlicolum, vivus ductus ad astra poli.  
Hinc te respectans patrem tua fata moratur  
Summa, tibi & patri cœlica regna vovet.

Amoris & doloris testificandi  
ergo adjectis hac

Sebastianus Krieger, Hungarus,  
p. t. Scholæ Colon. ad Spream  
Corrector.

---

### Defunctus alloqvitur superstites.

**P**rofite vos lacrymas, non indulgete dolori:  
flectere nemo potest, qua probat ipse Deus,  
Nil juvat extinctos nimium deflere propinquos,  
est animi fortis tristia ferre, pati.  
Dicite, quid mibi sit Cœlo felicius ullum,  
vivo, & defunctum me tenet aula poli,  
Acceptam cladem patienti corde feratis,  
imminuant gemitus gaudia multa precor.

per Fratrem

Johannem Georgium Wedigen.

C

Cur

**C**ur tristis facies? lacrymis suffusa parentis?  
Filius heu! charus sanguine, amore, Dei;  
Reddidit usuram lethali vulnere lucis;  
Res salva est, cœli gaudia summa tener.  
Consul ut æqualis luctu; exultatio talis  
Jacobi, hunc capiat post pia fata, precor.  
Iatercā Medici cœlestis vulnera cordis  
Lugentis, sanet ritè μαλαχια sacram!

*Cendolentia & observantia ergo  
pronata occasione  
fundebat.*

*Christoph. Eilerdus, jamjam  
necatus SubRector Ce-  
leniens.*

**M**oeſtior in luctus nati Pater optime Consul.  
Disce modum luctus ponere mente pia.  
Occubuit natus pulcer viridante juventa.  
Summi maturus numine at occubuit.  
Interiit patrie casus dulcedine terre.  
Mortua commune aſt contegit ossa ſolum.  
Humatum lacryme liquerunt rore parentum.  
Ros animam letam aſt irrigat usq; poli.  
Ad patrios remeare lares cum vellet, in ipſo  
Progreſſu patriam cœlica regna petit.  
Hic multum latus gaudet ſine fine cohorti  
Angelice mixtus, cœlica regna videns.

*Desuper*

*Desuper hinc oculos ad mundi climata multus  
Mittit, & expectat te, Pater, atq[ue] suos.*

*Σομπαθείας ἔνθα.*

*apposuit hæc patri mæsto, Compatri  
suo in ævum honorando*

*Johannes Sturmius Scho-  
la Colon. Cantor.*

**N**Ostra quid est vita? Est via lubrica, semita fal-  
(lax,  
Qvam bene qvì currit, currit ad astra Poli.  
Sæpe viâ tuti gradientes labimur eheu:  
Vitâ florentes & subito morimur.  
Metam ad præfixam votò nec ducimur usq[ue]:  
Spe qvoq[ue]; sic certus vivere nemo potest.  
Reichardus noster, peregrè qvi morte peremtus,  
Hæc nos è tumulo perdocet ipse suo.  
Namq[ue]; lares patrios repetens is corpore sano  
Præter spem gelidâ pestilitate perit:  
Inq[ue]; sinu Patris cœlestis gaudia mille  
Jam sentit, fatis nec gravibus premitur.  
Quid luges igitur, Genitor mæstissime, Natum,  
Quem morier voluit cura paterna Dei,

C 2

In cuius

In cuius manibus resident mors, vitaq; nostra,  
Qui facit ut veniat mors cito, vita abeat.

*συμπαθῶς approparet*

Petrus Heinrici Junior, Gymnas.  
Colon. Baccal. superior.

In obitum præmaturum  
**REICHARDI** Wedigens/ Optimi  
magnæq; speci Adolescentis.

**S**iccine tam subito finisti tempora vita,  
Delicium Matris deliciumq[ue] Patris?  
Magna fuit de te spes facta Parentibus: at nunc  
Hac cecidit, postquam te cecidisse vident.  
Ab luctus! dolor ab! triste & flebile fatum!  
Hei casus subitus! fors miseranda nimis!  
**A**b tu, Clare Parens, querulum jam mitte dolorem.  
Nec nimio luctu cor macerato tuum.  
Olim restituet PATER omnibus omnia SUMMUS  
Et qui funus erat, nobile fœnus erit.

ένυοις θεραπέας καὶ συμ-  
παθέας χάρη.

**Christiano Roeselern Scholæ  
Colen: Baccal: Infer:**

## **Exhau-**

**E**xhaustæ fletu luctus sōpītē Sorores  
& Fratres, qvi estis pectore sollicito:  
Ponatis: vobis si sint mea gaudia grata,  
qvæ capio Electis confociatus ego.  
Nam video celsi fulgentia mænia cœli,  
ac hīc Mavortis non metus ullus adeſt.  
Quem vos perverlo hoc omnes ſentitis in orbe,  
Est ubi certamen perpetuum, atq; pavor.  
Nonnè tremit totus mundus, Mavortia gliscunt  
prælia: nonnè ruunt ſingula regna modò?  
Cur igitur vanam defletis corporis umbram?  
An tristis ſtimulo carpitis invidiæ,  
qvod mihi felici ſiet in diſcrimine tanto  
rerum, ſit lucro cælica vita data?  
Est equidem mœror ſocios amittere ſuaves,  
& qvos fraterno ſanguine junxit amor:  
Aſt non interij, me ſaltem ad gaudia cæli  
fata vocare Dei, perpes ubi requies.  
Idcircò rurſum monitiſ vos impleo cunctos,  
ne deploretis funera chara mihi.

Fridericus Prüfer.

**E**Heu qvām misere facies tristissima rerum  
Innumeris ſqvalet nunc dāmnis obruta! cernis  
C 3 Qvi

Qui ruitura gemat lectissima patria, sicut  
Ebria sors etenim tragico furibunda tumultu,  
Intentant mortem cuncta, & graviora minantur.  
Qvisquis adhuc superes, terrestri & veseris aurâ,  
Dic quæso quid mundus habet? Nil tristia præter,  
Luctus & angor ubiq; & plurima mortis imago,  
Nulla pijs requies, nec dum submergit in undas,  
Nec revocat dum Phœbus eqvos è gurgite vasto.  
Ergò hac fatali rerum impendente ruinâ,  
Quid grave ducamus vitale telenqverelumen?  
Cur doleant igitur Patres? testentur obortis  
Cur luctum lacrumis Matres, dum præcōce falce  
Mors natos truculenta rapit? qvin gaudia mente  
Concipiant potius, metam tetigisse laborum  
Illos, nunc celsâ superum statione locari.

*bac pauca in mitigationem luctus  
uestisimi Dni: parentis avo-  
zodiasi doproperabat*

*Godofridus-Fridericus  
Strasburgus.*





lungenis

M. C  
C

S A N  
Fu

In

PRO  
M.

H

Carmen Elegiacum quod scripsi Joanni Baptista GEBELIO  
Svidnic. Silesio Pastori Ecclesiae ih Racovio.  
cum gradum Magisterij nancisaret Decanu  
M. Theodoro Ebertu 17 Calend. Maij  
A. 1624. aetate meae 19.

Ito bonis avibus GEBELI, quo Dux Autor,

Cu te fata vocant, ito bonis avibus.

Magnum opus adgredieris, sed, quod tibicine fultus

Numinis effici, fortiter expedites.

Imbut orantis lingvam locuplete Suadâ.

SPIRITUS Orator canticus ille, tuam.

Seminum disperge DEI per cordium agellos:

Nec sine mole preces, aut sine fruge, dato.

Et vineta DEI assiduo accubusq; labore

Percole, quo fructus mille, supraj ferant:

BAPTISTAM ex cathedra BAPTISTA imitare tonantem

GEBELI! verâ pro pietate puta:

Instrue non-doctos, errantes corrige, fractos

Exige, confuta dogmata vera minus.

Sic vivente volent tecum parturier annos

Prospера dicentes queis sacra dicta feres.

Sublatissim manibus, sine pondere terram

Manibus optabunt, (sed bene sero) tuis,

Cum tuba te rupâ tumba revocabit ab umbris,

JOVA, mei pastor dicet, adesto, grecis;

Ambrosia rursum te pacem & nectare, quare

Magna capte astrati præmia, carpe, poli.

Hoc penitus animi penetralibus oto, precorj

JANE mihi multo nō nomine ebare! VASE.

K25827

TA - FL

ULB Halle  
002 062 674

3





B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White  
Black

158  
**LAGMA**  
ardi paterno  
& Prudentissimi, DN.  
**ANNIS**  
**ONSULIS REIP:**  
is meritissimi, ob inspe-  
longè desideratissimi REI-  
ancofurtò-ad Mœnum , ubi  
ominis Legatis biennium fer-  
lux in itinere peste corrept°,  
m d. 23. Octobr. intra 9. & 10.  
d. annos vixisset, summo cum  
desiderio inter medias pre-  
triam , exuvijs postridiè h. i.  
lano ritu terræ mandatis ,  
,) mirè saucio,  
plicatum  
ab  
& Fautoribus,  
ANNO  
quo  
IVls, ReICharDe, beatVs.

**TYPIS RUNGIANIS.** So